

INTERPRETATIONES LATINAE

I

Quintilianus inst. or. I 6, 13 cum scripsisse videatur: 'illi autem idem (scil. analogiae defensores) cum interrogantur, cur 'aper apri' et 'pater patris' faciat, illud nomen positum, hoc ad aliquid esse contendunt', ea verba primum idcirco tangere constitui, ut Spaldingii errorem removerem ab aliis propagatum. Nam ille vir ceteroqui de Quintiliano egregie meritus quod adnotat (vol. I. p. 145): 'aper igitur nullo aliis rei respectu dicitur, pater refertur ad filium', id certe vel ideo falsum est, quia aper eodem iure referri potest ad porcam, quo pater ad filium. Nec recte Spaldingius versatus est in explicando eo, quod vocat Quintilianus 'ad aliquid', licet Graecum illud philosophis, rhetoribus, grammaticis aequem notum πρός τι verti bene observet addatque ipsas grammaticorum latinorum interpretationes, ut Charisii: 'sunt quaedam nomina τῶν πρός τι i. e. ad aliquid, quae non possunt intellegi sola ut pater, mater', Prisciani: 'ad aliquid dictum est, quod sine intellectu illius ad quod dictum est, proferri non potest, ut filius, servus'. Ut brevis sim, pater non potest esse sine mare aliquo, qui pater factus est: ergo 'Gaius pater' 'Marcus pater' plena erunt. At per se stat 'aper' qui est sūs masculus. Itaque si licet sermone depravato uti, pater quasi est 'accidens' quod ἐπίθετον Graeci vocant, et re vera eorum, quae sunt 'ad aliquid', exemplum 'dexter' ab Isidoro producitur. Quaeritur igitur quid sibi velit alterum, quod Quintilianus dicit 'illud (apri) nomen positum', cum iam de sententia ipsa satis constet. Sed 'positum' vix quisquam adhuc toleravit, pro quo 'simpliciter positum' Spaldingius edidit, 'nude positum' Halminus coniecit. Meliora, nisi fallor, docebit Macrobius Saturn. I 4, qui disputatione haud ita dissimili exponit: 'si (Bacchanale scil. et cetera) singulari numero dixeris, non idem significabis, nisi adieceris festum, ut Bacchanale festum, Agonale festum et reliqua: ut iam non positivum sit, sed adiectivum, quod Graeci

ἐπίθετον vocant'. Nisi forte quod Macrobius 'positivum' audit, Quintiliano 'positum', eidemque 'adiectum' sive 'ad aliquid', quod Macrobius 'adjectivum'. Velim quidem animum advertas ad instit. or. V 12, 6, quo loco haec leguntur in editione Meisteri: 'Quaedam argumenta nuda ponere satis non est, adiuvanda sunt'. Quid enim libri? 'Nuda' omittunt omnes. Ergo non minus falsum est quam supra 'nude' vel 'simpliciter' conjectura additum. Discimus 'ponere' Quintiliano esse, quod Graecis θεῖναι, nobis sit venia verbo, 'nude ponere'. Iam audias rhetorem in libr. III 6, 35 disputantem: 'statum ἀπρόληπτον et προληπτικόν dicunt, id est dubium et *praesumptum*, quo significatur de quo liquet. Ergo Graecum προληπτικόν vertit 'praesumptum', at 'praesumptivam' coniunctionem appellat Priscianus 16, 1. Non igitur potest esse dubium, quin 'positum' vocaverit Fabius, quod posteri 'positivum'.

Idem ibid. I 5, 55 tractare incipit verba latina et peregrina, qua in disputatione peregrina ex omnibus prope gentibus oriunda dicit, deinde pergit verbis celeberrimis quidem sed ne nunc quidem plane intellectis: 'taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque: nam ut eorum sermone utentem Vettium Lucilius inseccatur, quem ad modum Pollio reprehendit in Livio Patavinitatem, licet omnia Italica pro Romanis habeam'. Haec enim neque secundum bonam rationem proferri et hiulca esse, nulla explicatione tam bene demonstrari potest, quam si Germanice verteris: 'Ich schweige von den Tusker und Sabinern und auch den Praenestinern: denn an Vettius tadelst Lucilius, dass er deren Sprache rede, sowie Pollio an Livius die Patavinität auszusetzen hatte, mag ich auch alles Italische für Römisch halten'. Hiulcam dixi hanc sententiam, quae recte continuata esset sic: quem ad modum Pollio reprehendit in Livio Patavinitatem, id quod commemorandum esse puto, licet omnia Italica pro Romanis habeam'. Hoc recte perspexit Kiderlinius ideoque conjectura salutem petivit, minus recte 'meo iudicio. Nam si quid video, omnino hunc in modum continuanda est Fabii nostri oratio: 'taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque: licet omnia Italica pro Romanis habeam' i. e. 'ich schweige von den Tusker und Sabinern und auch den Praenestinern: alles Italische darf ich für Römisch halten'. Itaque 'licet' non est coniunctio quae vocatur, sed verbum, idque si coniunctivum secum habet pro infinitivo, neque a sermone Latino declinavit Quintilianus neque a propria consuetudine. Loquitur autem tamquam

imperii Romani civis, cui bene Romana videri poterant, quae Italica essent, quare tacere potest de vocabulis quibusdam, quae antiquioribus haud ita bene latina visa erant. Sed postquam proposuit: 'taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque', quasi parentheseos loco commonet de criticis illis, qui vocabula inde petita quasi peregrina vituperaverant; hac parenthesi finita redit in viam. Tota igitur perihodus ut recte intellegatur, sic interpunctione distinguenda est: 'taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque (nam ut eorum sermone utentem Vettium Lucilius insectatur, quemadmodum Pollio reprehendit in Livio Patavinitatem): licet omnia Italica pro Romanis habeam'. Exstat simile structurae genus IV 1, 21: 'id quidem in consilio ampliore utcunque tutius (nam et mali inhibentur et boni gaudent), apud singulos vero numquam suaserim', et paullo intricatus IV 2, 61: 'bis tribus narrandi virtutibus adiciunt quidam magnificentiam, quae neque in omnes causas cadit (nam quid in plerisque iudiciis privatis de certa credita, locato et conducto, interdictis habere loci potest supra modum se tollens oratio?) neque semper est utilis'.

Tres faciunt collegium. Itaque de tertio libri primi loco sententiam proferre non dubito, qui est c. 5, 59 sq.: 'ac si reperias grammaticum veterum amatorem, neget quidquam ex latina ratione mutandum, quia, cum sit apud nos casus ablativus, quem illi non habent, parum conveniat uno casu nostro, quinque Graecis uti. quin etiam laudet virtutem eorum, qui potentiores facere linguam latinam studebant nec alienis egere institutis fatebantur: inde Castorem media syllaba producta pronuntiarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem quas Castor litteras exit, et ut Palaemo ac Telamo et Plato (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur retinuerunt, quia latinum, quod o et n litteris finiretur, non reperiebant. ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur ideoque et apud Caelium legimus 'Pelia cincinnatus' et apud Messalam 'bene fecit Euthia' et apud Ciceronem 'Hermagora', ne miremur, quod ab antiquorum plerisque 'Aenea' ut 'Anchisa sit dictus'. De hoc loco disputans Meisterus in eo libello, quo Ciceronis textum a Quintiliano exhibitum examinavit, temere egit quod 'grammaticorum quorundam' opiniones a rhetore castigari adfirmat. Ipse quidem Fabius 'grammaticum' perstringit 'veterum amatorem' cumque ita describit, ut ipsum nomen eius conjectura adsequi

haud ita difficile videatur. Scimus contempta veterum auctorum studia tum temporis resuscitasse Valerium Probum Berytium virum clarissimum: ‘reliquit autem’, ut Suetonius ait, non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui’. Huius igitur hominis aequalis fere sibi observationes quasdam nonne cum tecta irrisione proponit Quintilianus? Nam quod Castōrem media producta enuntiatum memorat, simillimam rem de Valerio Probo adnotat Gellius IV 7: ‘Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit. Is Hannibālem et Hasdrubālem et Hamilcārem ita pronuntiabat, ut paenultimam circumflecteret, et est epistula eius scripta ad Marcellum, in qua Plautum et Ennium multosque alios veteres eo modo pronuntiasse affirmat, solius tamen Ennii versum unum ponit’. Nam in Hannibāle eadem analogiae ratio, quae in Castōre, adhibetur, ut ad nominum latinorum exemplum peregrina declinentur, quoniam, quae in a et ī exeunt latina, ut ‘animal’, in genitivo a longam habent. Ad eundem hunc Probum propter similitudinem materiae referenda esse puto, quae narrare pergit Quintilianus: ‘ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur’ e. q. s., ita scilicet ut intellegendi hi sint ipsi auctores infra appellati. Atque observandum est in tam brevi verborum ambitu apparere Palaemonis nomen et Aeneae et Anchisae, id quod non mirum est in homine grammatico, qui de Vergilio commentarios conscripserat. Iam quod adfirmatur apud Ciceronem scriptum inveniri ‘Hermagora’, mihi quidem minime neglegendum videtur esse hoc testimonium, quamquam Hermagoras scribitur libris omnibus, quos habemus, et scriptum fuit, nisi fallor, iam ipsa Quintiliani aetate. Sed Probi si est testimonium, redire potest ad exemplaria Ciceronis vetustiora, ab ipso illo inspecta, qua de re Suetonius audiendus est (cf. Fr. Leo Plautinische Forschungen p. 21 sq.): ‘M. Valerius Probus Berytius — legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammaticam durante adhuc ibi antiquorum memoria necdum omnino abolita sicut Romae. hos cum deinceps repeteret atque alias cognoscere cuperet — in proposito mansit *multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit*'. Profecto autem, qui vitam consumpsit in librorum manu scriptorum conlectione, etiamsi antiquiorum libros maiore cura amplexus est, tamen de Cicerone quoque scire quaedam potuit, quae reliqui nesciebant.

II

Iuvenalis dum eorum artes depingit, qui licet ipsi sint divites, sportulam cotidie petere consuerunt, 'sequiturque maritum languida vel praegnas et circumducitur uxor', in fine disputationis totius (I 123 sq.) exemplum eius addit, qui absente petit uxore 'ostendens vacuam et clausam pro coniuge sellam'. Cuius audaciam simul et calliditatem quo clarius ante oculos ponat, ipsam inducit hominis sermocinationem vel potius, nisi fallor, dialogi specimen inter clientem et patronum habiti. Nam is qui petit

'Galla mea est', inquit, 'citius dimitte'.

Deinde cum videat patronum dubitantem, cunctantem, reluctantem, rogit 'moraris?' eoque procedit insolentiae, ut uxorem quasi praesentem compellat: 'profer, Galla, caput'. Ecce igitur victus tanta impudentia patronus veritusque, ne videatur molestus esse matronae potentissimae, iam desistit acrius instare, itaque interpellat loquentem: 'noli vexare, quiescat'. Sic igitur distinximus totum sermonem:

'Galla mea est' inquit 'citius dimitte. -- moraris?

profer, Galla, caput. 'noli vexare, quiescat',

quem quidem adhuc ita interpungere solent, quasi sit tota clientis oratio inde a verbis 'Galla mea est' usque ad illud 'noli vexare, quiescat'. Qua tamen in re primum hoc molestum est, quod effectum fraudis ignoramus nec, quid faciat patronus, utrum re vera decipiatur necne, audimus, deinde offensionem habet 'quiescat' futurum, quod intellexit iam is qui in Pithoeano correxit 'quiescit', quem etiam recentiores quidam secuti sunt. At si patrono dederis illud 'noli vexare, quiescat', bene intellegi poterit futurum quasi imperantis auctoritate enuntiatum, cuius usus non pauca exstant ista aetate exempla et luculentissime de eo exposuit Bonellus lexici Quintilianei p. LII sq. Hic usus nec semper nec ubique ab iis recte observatur, qui scriptores latinos edunt, velut est quidem Apulei Metam. XI 6 p. 209 E.: 'quod si sedulis obsequiis et religiosis ministeriis et tenacibus castimoniis numen nostrum promerueris, scies ultra statuta fato tuo spatia vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere', et id quidem bene, sed cum apud eundem III 5 p. 42 E. in optimis libris haec scripta inveniantur: 'ignavia omnis facesset e pectore: stricto mucrone per totam domum caedes ambulet', malunt nunc 'facessat' edere nec reputant eam dissimilitudinem, quae est in 'facesset' et 'ambulet', Graecis commendari exemplis, velut hoc

Oxyrhynch. pap. I 113, 7: ἀγοράσεις μοι δραχμὰς β' καὶ ταχύ μοι πέμψον, vide quam adnotacionem ad Demetrii de eloc. lib. scripsi p. 66.

III

Grattius cynegeticorum v. 409 de scabie morbo catulorum funestissimo agens postquam medicamenta quaedam enumeravit, praecepta addit ad totius vitae ductum habitumque pertinentia v. 420 sq.:

. . . et pluvias et Cauri frigora vitent;
sic magis, ut nudis incumbunt vallibus aestus,
a vento clarique faces ad solis, ut omne
exsudent vitium subeatque latentibus ultiro,
quae facta est medicina vadis.

Qui versus quantas turbas viris doctis moverint, quot conjecturas procreaverint, non ita facile dici potest. Ac re vera in versu 422 deest verbum aliquod, a quo suspensa oratio sit, quod nisi additum erit, omnino non est sermo latinus. Quid igitur? Siquidem necessaria est conjectura neque ea carere possumus, haud absurdum videtur circumspicere, sintne similia apud alios medicinae auctores praecepta, quibus locus noster ita inlustretur, ut de emendatione eius aliquid certius adfirmari possit. Nam tantum quidem constat, Grattium, etsi poeta loquitur, non temere conscripsisse, quae scripsit, quod ut uno exemplo demonstrem, velim cum iis quae posuit v. 470 sq.:

stringenda nares et bina ligamina ferro
armorum geminaque cruor ducendus ab aure
conferas Hippiatricorum p. 10, 29: Θεραπεύων δ' ἄν τις ἐπιτυγ-
χάνοι αἵματος ἀφαιρέσει λύων τὰς ἐν τῷ προσώπῳ φλέβας
καὶ τὰς ἐν τῷ στήθει vel p. 38, 4: πάντας τοὺς ἀπὸ πλη-
σμονῆς καὶ ώμοτητος πάσχοντας ἄριστον φλεbotomεῖν ἐκ
τῶν ἀγκώνων καὶ βραχίονων. De ipsa quidem scabie quod
v. 424 sq. Grattius marinas balneas commendat, dudum observatum
est eandem medellam notā fuisse Columellae VII 4, 8¹,
quam Hippiatrici quoque passim commemorant. Iam igitur pro-

¹ Itaque ad intellegendum poetam non sine commodo etiam illa κυνοσόφια Byzantina adhibebuntur, quae Hercherus in appendice Aeliani edidit; cf. e. g. Grattii 279 sq. (et 285 quidem 'custos' dicitur figurate quasi 'custodia') cum cynosophii p. 587, 21 Herch., Grattii 386 sq. cum cynosophii c. 9 p. 590 H. Sed quod maius est, congruit tota materiae dispositio, quam legitimam fuisse etiam Hierocles docet de equis scribens Hippiatr. p. 3, 11 sq.

vocamus ad Chirónis mulomedicinam, ab Eugenio Oder egregie editam, quo in libro de maleos morbo perniciosissimo inter alia haec narrantur § 188 (p. 58 Oder): ‘hic morbus se ad corpora increscens ustione extinguitur vel sanguinis detractione siccatur. quare iubemus eos in agrum proici, ut *auram et solem* passi eandem similiter curam iis praestent, ut ustio et sanguinis detractio. *sol* exurendo omnem humorem huius morbi exiccat, *aura* detrahit omnem corruptionem corporis et pectoriam sanguinis et humoris plenitudinem, et stringit omnia, quae ex duplice ratione calore vel rigore concipiuntur contraria sibi. alterutrum omnibus rebus subvenit’. Quamquam enim diversos morbos diversarum bestiarum tractant et Grattius et Chiro, tamen luce clarius est unum atque idem eos commendare medicamentum, quod constat ex aurae solisque applicatione, quam nos Lust- und Sonnenkur vocamus. Quam si uni tantum morbo utilem existimasset Chiro, non addidisset: alterutrum *omnibus* rebus subvenit. Et quantum ventis spirantibus veteres medici tota medicina tribuerint, docet οἰώρας usus in multis hominum morbis adhibitae. Indidem maris salubria flamina vocat Apuleius XI 5. Ipsam vero mendendi rationem quemadmodum interpretati sint, iterum Chiro luculentissime exponit, cum dicit sole ardente humorem morbi exsiccari, aurarum flatibus eundem detrahi: scilicet humorem sole protractum ex venis vento dissipari scimus ipsi aurae utilitatem aestivo tempore experti. Et hoc quidem ‘exsudare vitium’ Grattius vocare videtur. Sed ea res utecumque se habet, cui, quaeso, potest esse dubium, quin, quomodo sol et aura apud Chironem, eodem modo apud Grattium clari faces solis ventique iuxta ponantur? His autem versibus illa salubria, quae medicinae causa adhibentur, vel ideo coniuncta proferenda erant, quia, quae essent vitanda, iam praecedente sticho poeta docuerat: pluvias et Cauri frigora vitent. Ergo sequi debent utilia. Qua re intellegimus quanto fuerint in errore illi critici, qui eo quod traditur ‘a vento’ adducti crediderunt iussisse Grattium canes a ventis removeri et soli exponi. Quod eo minus tolerandum est, quia solem sine vento non tam salutarem quam perniciosum esse visum ex ipso Chirone apparet, cuius haec sunt verba: stringit omnia (scilicet *aura*), quae ex duplice ratione calore vel rigore concipiuntur. Itaque ea, quae per se nimiam vim habent, aura mitigat, et de rigore iterum congruit Grattius, cum praecepit: Cauri frigora vitent. De pluviosis nihil habet Chiro, sed per se apparet idcirco eas exitiosas esse visas, quia siccationi

corporis officiunt. Iam igitur quaeres qua ratione fieri possit, ut verba Grattii, quatenus corrupta sunt, ita restituantur, ut alter medicus consentiat cum altero. En igitur addita una in initio versus littera scribimus:

. . et pluvias et Cauri frigora vitent.

Sic magis: ut nudis incumbunt vallibus aestus,

Da vento clarique faces ad solis, ut omne
exsudent vitium.

Haec si recte disputavimus, cur nudas valles Grattius dixerit, apertius erit, utpote quae ventorum accessum non impediant. Sed persistamus in nostro poeta. Pergit enim totius curationis modum enarrare versibus his:

subeatque latentibus ultro,
quae facta est medicina, vadis.

Quibus in verbis intellegendis vel potius emendandis mirum in modum laboraverunt homines critici, cum, quid sibi vellet illud 'vadis', non satis constaret, sed iterum Chiro omnem eximit dubitationem quoque de intestinorum vadis locutus, cf. p. 64, 5 et maxime 64, 25 sq.

Equorum catalogum quem composuit Grattius inde a versu 497, apte conferemus cum iis, quos in eadem materia alii proposuerunt, velut Arrianus Cynegeticorum 23, Pseudoppius, Hippiatricorum auctores, neque obliviscemur eius anonymi, qui scripsit ἵππων ἀρετὰς κατ' ἔθνος in Crameri anecd. Oxon. IV 256 sq. Verum ex his omnibus nemo cum Grattio ullam habet familiaritatem praeter Oppianum. Quod breviter admonere possum, multum operaे frustra expertus. In alia re felicior fuisse mihi sum visus. Nam cum versibus 161 sq. de cane Hyrcano poeta tradat:

Sed non Hyrcano satis est vehementia gentis
tanta sua: petiere ultro fera semina silvis.

Dat Venus accessus et blando foedere iungit.

Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter
in stabulis ultroque gravem succendere tigrin
ausa canis maiore tulit de sanguine fetum,

similem quidem historiam etiam Aristoteles (hist. an. 8, 27, 8—8, 28) narrat et Aelianus (hist. an. VIII 1) ac Plinius, sed non parvam intercedere differentiam apud hos Aelianus docebit, cuius verba ex Aristotele sine dubio hausta haec sunt: τὰς κύνας ἄγουσιν εἰς τὰ ἔνθηρα χωρία — καὶ τοῖς δένδροις προσδήσαντες — ἀπαλλάττονται — οἱ δὲ τίγρεις ἐντυχόντες αὐταῖς, ἀθηρίᾳ μὲν καὶ λιμῷ συμπεσόντες διασπώσιν αὐτάς· ἐὰν δὲ ὄργωντες

ἀφίκωνται καὶ κεκορεσμένοι, συμπλέκονται αὐταῖς. Secundum igitur Aristotelem Plinium Aelianum canes in silvas aguntur ibique arboribus adligantur, neque id ignorare videtur Grattius, rem leviter tangens:

petiere ultro fera semina silvis,
licet id quod dicit ‘ultra’, minus bene congruat cum ceteris
auctoribus, qui invita cane feturam fieri testantur. Verum a
communi historia prorsus abhorret, quod poeta addit:

Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter (i. e. tigris)
in stabulis.

Ergo non pendet ex Aristotele, sed ex alio quodam scriptore, quem ut eruamus, nova nobis via ingredienda est. Nam toto hoc, de quo agitur, canum catalogo vide qua ratione materiam disposuerit. Enumerantur canes hi: Medi, Celtae, Geloni, Persae, Serae, Lycaones, Hyrcani, Umbri, Britanni, Molossi, Athamanii, Macedones, Acarnanes, Aetoli. Secuntur de mixtura gentium pracepta, deinde canes Siculi, Sycambri, vertrahae, metagontes, quos optumos iudicat. Patet igitur Asiaticos primos nominari, deinde Europaeos. Mirum autem videri potest, quod inter Medos Gelonosque Celtae ponuntur neque certe id moris Romanorum est, qui sic appellare Galliae solent incolas. Ipse quidem Grattius totius dispositionis acumen percepisse non videtur, quoniam eosdem canes postea (v. 194) Gallos vocat¹. Nempe, quem sequitur, is auctor Κέλτας Γαλάτας intellexerat, Asiae habitatores, ex Gallicis canibus idem produxerat teste Grattio Sycambros et vertrahas. Itaque errore suo Grattius convincitur, dum ex Graeco quidem fonte haurit sed male haurit. Hinc igitur illa fluxit doctrina, quam in poeta latino miramur, hinc metagontis quoque nomen. Fuit autem Graecus ille auctor post Alexandrum Magnum, quia, quae de cane Indico narrat, ex aliquo Alexandri Magni historiarum scriptore petisse videtur. Fuit, nisi fallor, Cynegeticorum scriptor quidam doctus Alexandrinus. Et haec quidem hactenus; nam, ut aiunt, nomina sunt odiosa².

¹ Nomina omnino commutat ita, ut pro Celtis ponat Gallos, deinde retineat Gelonus (v. 177 v. 195), iterum pro Aetolis (187) vocet Calydonios (196).

² Unam eamque brevem admonitionem addere mihi liceat. Nam quod exstat Grattii 127 sq.:

Disce agedum et validis dilectum hastilibus omnem.

Plurima Threicii nutritur vallibus Hebrei

cornus

IV

De Senecae epist. 89, 22 priusquam agam, pauca mili
praefanda sunt de Iuvenalis sat. IX 54 sq., quo loco nullum
monstrum esse contendit tam horridum quam mollem illum,
qui sit avarissimus, cum sit idem ditissimus, quam sententiam
ita exprimit:

die, passer, cui tot montis tot praedia servas
Apula, tot milvos inter tua pascua lassos?
te Trifolinus ager fecundis vitibus inplet
suspectumque iugum Cumis et Gaurus inanis.
nam quis plura linit victuro dolia musto?
quantum erat exhausti lumbos donare clientis
iugeribus paucis!

Scilicet cum exclamat ‘quantum erat’, id cum ironia pronuntiatum
esse volt intellegi, quasi sit: ‘res erat minutissima, exhausti
lumbos donare clientis iugeribus paucis’. De hac re nulla potest
esse dubitatio nec vero umquam fuit. Iam ad Senecae episto-
larum locum provoco supra laudatum, ubi perstringens hominum
luxuriosorum voracitatem in haec verba effunditur: ‘ad vos
deinde transeo, quorum profunda et insatiabilis gula hinc maria
scrutatur, hinc alia hamis, alia laqueis, alia retium variis
generibus cum magno labore persequitur: nullis animalibus pax
est (‘parcit’ Buecheler): quantulum est ex istis epulis, quae per
tot comparatis manus, fesso voluptatibus ore libatis? In ultimo
enuntiato sententiae, quae stare non potest, ita succurrunt, ut ‘quod’
addant post ‘est’ aut ipsum hoc ‘est’ tollant. At certe Iuvenalis
docet ab illo ‘quantum est’, cui aequale erit ‘quantulum est’,
suspendi infinitivum, ipsam vero dictionem cum despectu quodam
adhibitam non minus quadrare in Senecam quam in Iuvenalem
quis negabit? Observandum igitur est in codice optumo Bam-
bergensi prima manu non esse scriptum ‘libatis’, sed ‘libastis’,
ut ait Hense, deinde correctum, id quod veteris mendi videtur
vestigium. Quare propono: ‘quantulum est ex istis epulis, quae per
tot comparatis manus, fesso voluptatibus ore libasse?’ Totam
hanc disputationem Seneca claudit verbis his, quae crucis signo
adfecit Hense: ‘infelices, esse quid intellegitis maiorem vos

vix dubitari potest, quin ‘Threicis nutritur vallibus Hebri’ poeta
scripsit, primum quia ‘Threicii inutritur’ traditur nec raro s et i
longa confusae sunt, deinde quia enallages est amantissimus, v. e. c.
in versu 201 ‘versuta leporis vestigia’.

famem habere quam ventrem'. Idem laudat Gronovii coniecturam qui 'esse quid' mutarit in 'ecquid'. Sed mihi certe omnis interpretatio pendere videtur a recta interpunctione: 'infelices! ēsse (i. e. 'edere' contractum) quid intellegitis? maiorem vos famem habere quam ventrem?' Namque ex hoc oritur πλησμονή, quod stomachus capere nequit, quae gula desiderat. De interrogationis secundae forma conferas Terentii Hec. 613 et alia multa post Terentium (Schmalz, Lateinische Syntax § 162): cum indignatione profertur.

Seneca in ep. 79, 2 dicit: 'si haec mihi perscripseris, tunc tibi audebo mandare, ut in bonorem meum Aetnam quoque ascendas, quam consumi et sensim subsidere ex hoc colligunt quidam, quod aliquando longius navigantibus solebat ostendi'. Idem in ep. 91 sortis humanae condicionem deplorans exemplisque inlustans, quanta sit inbecillitas nostra rerumque nostrarum caducitas, pergit hac sententia (§ 11): 'non tantum manu facta labuntur nec tantum humana arte atque industria posita vertit dies: iuga montium diffluunt, totae desedere regiones, operta sunt fluctibus, quae procul a conspectu maris stabant. vasta vis ignium colles, per quos relucebat, erosit et quondam altissimos vertices, solacia navigantium, ad humile deduxit'. Quibus tertius accedit Aelianus variae hist. VIII 11: οὐδὲν ἔτι θαυμάσομεν εἰ ή τῶν ἀνθρώπων φύσις θνητὴ οὖσα καὶ ἐφῆμερος φθείρεσθαι αὐτοὺς ἀναγκάζει, ὅπου καὶ τοὺς ποταμοὺς ὄρῳμεν ἐπιλείποντας καὶ τῶν ὄρῶν δὲ τὰ ὑψηλότατα ἀκούομεν μειούμενα καὶ ἐκεῖνα. τὴν γοῦν Αἴτνην φασὶν οἱ πλέοντες ἐξ ἐλάττονος ὄρᾶν ή πρὸ τοῦ ἐβλέπετο τὸ δὲ αὐτὸ τοῦτο καὶ τὸν Παρνασσὸν παθεῖν καὶ τὸν Ὀλυμπὸν τὸν Πιερικόν. Quae si inter sece comparaveris, primo observabis eundem esse sententiarum nexum apud Senecam ep. 91 Aelianumque, deinde hunc ex illo hausisse negabis, quia etiam Parnassum commemorat Olympumque montes a Seneca non appellatos: ergo statues communem esse quandam fontem, ex quo hausit uterque. Nec tamen is fuit geographus vel rerum naturalium scriptor, quod si esset, vel Strabonem similia scire putares vel Senecam in naturalibus quaestionibus vel eum, qui Aetnae carmen cecinit. Fuit homo quidam, qui Aetnae montem ipsum suo incendio comburi minuique nantarum testimonio usus affirmarat; idcirco omnino non debet quaeri inter eos auctores philosophos, qui de ignium eruptionibus varias quidem sententias prodiderunt sed in eo congruas, quod montem incendii viam putabant, non

alimentum. Non fuit Posidonius, ut brevis sim: fuit consolationum scriptor aliquis, cuius nomen in obscuro est. Sed quam de Aetna opinionem commemoravit, eam ipsi Senecae dubiam esse visam haec verba ep. 79, 2 testantur: 'potest hoc accidere, non quia montis altitudo descendit, sed quia ignis evanuit et minus vehemens ac largus effertar, ob eandem causam fumo quoque per diem segniore', in quibus haud sine causa 'per diem' additur, sicut appareat ex Nat. quaest. II 26, 4: 'Maiorum nostrorum memoria cum insula in Aegaeo mari surgeret, spumabat interdiu mare et fumus ex alto ferebatur; noctu demum prodebat ignem' eqs. Sed haec non sunt tanti; itaque pergo ad ea quae se- cuntur ep. 79, 2, vitio apertissimo inquinata: 'neutrum autem incredibile est nec montem (scil. Aetnam), qui devoretur cotidie, minui, nec manere eundem, quia non ipsum exest sed in aliqua inferna valle conceptus exaestuat et aliis pascitur, in ipso monte non alimentum habet sed viam'. Apertissimum dico vitium, quod subiecto carent ea quae sunt: *exest — exaestuat — pascitur — habet*, nec tamen facile memoria suppletur, quod desideratur, *ignis*, cuius nulla est in verbis antecedentibus mentio. Accedit aliud. Nam cum Seneca dicat in ipso monte ignem non ali- mentum habere sed viam, satis neglegenter locutus esse videtur nec expressisse id contrarium, quod supra statuerat, cum aut ipsum montem devorari ideoque minui adfirmaret aut manere eundem, quia ignis sub monte esset. Nam si ipse comeditur, ipse quoque mons est ignis nutrimentum, non est nutrimentum in monte tamquam receptaculo. Ergo nisi fallor, ut iustum sententiam exprimeret, scribere oportuit philosophum: *ipsum montem (i. e. ipsū montē) non alimentum habet sed viam.* Et haec quidem lenis emendatio est, qua adhibita quod restat in, videtur esse vestigium eius quod supra desiderabamus et Buechelerus desideravit *ignis*; quare totum locum sic restituo: 'neutrum autem incredibile est, nec montem, qui devoretur co- tidie, minui, nec manere eundem, quia non ipsum exest sed in aliqua inferna valle conceptus exaestuat et aliis pascitur ignis, ipsum montem non alimentum habet sed viam.'

Transeo ad tertium Senecae locum iudicandum, qui exstat ep. 75, 12, quo loco de iis loquitur, qui maxime sunt in virtute proiecti: 'itaque qui plurimum profecere, extra morbos sunt: adfectus adhuc sentiunt perfecto proximi. secundum genus est eorum, qui et maxima animi mala et adfectus deposuerunt, sed ita, ut non sit illis securitatis suae certa possessio'. Quibus in

verbis id unum me pungit, quod intra brevissimum unius contrarii spatium bis idem exprimitur subiectum, cum dicit 'qui plurimum profecere' deinde 'perfecto proximi.' Sunt enim idem. Quod mihi non tam videtur elegantiae quam inertiae cuiusdam esse exemplum. Ecce autem libri optimi: non 'proximi' testantur sed 'proximis', deinde in Veneto corrector ultimam s litteram delevit. Et id quidem male fecit; nisi enim fallor, haec multo est iucundior oratio: 'itaque qui plurimum profecere, extra morbos sunt, adfectus adhuc sentiunt. perfecto proximis secundum genus est eorum, qui et maxima animi mala et adfectus deposuerunt'. Qua in enuntiatione 'perfecto proximis secundum' eodem modo dictum est, quo 'nulli Campanorum secundus' Livius dixit vel 'haud ulli veterum virtute secundus' Vergilius. Poteram his esse contentus. Sed malo unam admonitiunculam addere eamque brevissimam de ep. 76, 30, ubi de iis bonis sermo est, quae sunt extra virtutem: 'etiam si favente fortuna in unum congesta sunt, dominis suis incubant gravia et illos semper premunt, aliquando et inlidunt'. Quo loco 'inlidunt' vetus est Gruteri coniectura; nam libri 'inlidunt' exhibent. Id autem fortasse verius. Totam enim imaginem apertissimum est sumi ab Incubo daemone, qui incubat gravis et homines premit. At proprium est horum immundorum spirituum, in quibus etiam Incubones feruntur, ludere homines sub varia specie atque figura; hinc ἀπὸ δαιμόνων ἐπιαλτῶν ἐνεργείας τὸ ὄνειρώσσειν (Suidas v. ὄνειροπολεῖν), hinc horrida somnia, hinc mentis alienatae delirationes (Hippoer. morb. sacr. p. 592 K sq. Horatii art. poet. 454, Rohdii Psyches II p. 81⁸). Aliud est in nostratum superstitione sed eodem pertinet, quod credunt, si quis tales Incubonem sibi incidentem prehendere conetur, nihil teneri manibus nisi stipulam vel pennam vel crepidam (cf. Wuttke Der deutsche Volksaberglaube p. 404). Itaque quod Senecae libri testantur 'inlidunt', etiam mordacius teneo. Etenim superstitionis mira quaedam est stabilitas, mirus conexus, quo e genere ne notiora repetam, satis habeo Aelii Lampridii mentionem fecisse, qui in Antonini Diadumeni historia 4, 2 narrat: 'solent pueri pilleo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt et advocatis credulis vendunt, si quidem causidici hoc iuvari dicuntur'. Haec enim etiamnunc manet opinio; cf. Wuttke l. l. p. 627. Sed ut in viam redeam, etiam de bonis bene mihi intellegi posse videtur, si inludere dicuntur eos, qui possident.

V

Quaedam Latina intellegere aut emendare poteris, si Graeca scias, quae respondent. Velut Quintilianus cum dicit IV 3, 14: ‘παρέκβασις est, ut mea quidem fert opinio, alicuius rei sed ad utilitatem causae pertinentis extra ordinem excurrens tractatio’, licet suam esse opinionem adfirmet, tamen re vera Graecam vertit definitionem, quam si minus clarus auctor servavit, at certe scholiasta ad Demosthenis Mid. 77 p. 95 Meieri, qui finit: ἔστι δὲ παρέκβασις λόγος ἐξαγώνιος μέν, συναγωνιζόμενος δὲ πρὸς τὸ πρᾶγμα. Iam quod in Graeco sermone est μέν — δέ, idem ‘sed’ in latino¹, nec recte fecit, qui particulam hanc e Quintiliani textu removendam esse statuit. Ex hoc genere est, quod de poetis Cicero tradit in Oratoris paragr. 68: ‘tum etiam nonnullorum voluntati vocibus magis quam rebus inserviunt’, quo loco rectius ‘voluntate’ intellegi, quod Sauppius coniecit, nunc Philodemus docet poeticæ fragmento Vol. Hercul. VII 100: κινέι γὰρ οὐ τὰ ἀποίητα ἀλλὰ τὰ πεποιημένα (διανοήματα δέ καὶ ταῦτ’ ἔστι) ‘Ηρακλεοδώρου νομίζοντος ὅλως νόημα μὴ κινέν: ex hac enim Heracleodori voluntate sequitur, ut vocibus magis quam rebus inserviendum sit (cf. Gomperz, Philodem und die aesthet. Schriften der hercul. Bibliothek p. 25 n. p. 51 sq.). At in eodem Oratore male mutatur § 124: ‘narrationes credibiles nec historico sed prope cotidiano sermone explicatae dilucide’, tenendum fuit, quod est in libris omnibus: explicatae, dilucidae i. e. διηγήσεις πιθαναί, σύντομοι (nam historici est secundum Ciceronem ubertas quaedam et copia sermocinandi cf. Oratoris § 66), σαφεῖς, qua de finitione satis est proponere Quintiliani haec IV 2, 31: ‘eam (narrationem) plerique scriptores maximeque qui sunt ab Isocrate volunt esse lucidam, brevem, veri similem’. In sequentibus cum scripsisse videatur Cicero secundum libros: ‘tum sunt luminosae et quasi actuosae partes duae’, ad eum locum (id quod non fugit editores) duae pertinent Nonii glossae, altera p. 132, 18: ‘luminosum positum pro claro. Cicero in Oratore: tum sunt luminosae et quasi iactuosae partes duae’ altera p. 130, 10: ‘iactuosae positum pro iactantes. Cicero in Oratore: t. s. l. e. q. iactuosae p. d.’ Est igitur ‘iactuosae’ vitium vetustissimum; nam verum

¹ Apuleius quidem Metam. XI 10 p. 211 E. scripsit: ‘secundus vestitu quidem (i. e. μέν) similis sed (i. e. δέ) manibus ambabus gerebat altaria’, quo loco ‘manibus ambabus’ ideo premitur, quia ille prior lucernam sola dextera portabat; locus est Quintiliani simillimus.

esse 'actuosae' etiam S. Ambrosius docere videtur, qui cum in libro de interpell. Iob et David IV (II) 4, 16 contendit actuosum esse illud quod refulgeat, fortasse nostri loci memor fuit: conferas modo 'luminosae' apud Ciceronem.

His expositis ut tendam ad finem, liceat sententiam proferre de Oratoris § 44, ubi de inventione atque iudicio agens auctor brevem se fore pollicetur: 'sunt enim non tam insignia ad maximam laudem quam necessaria et tamen cum multis paene communia'. Hoc enim loco qui 'tamen' mutare conjectura conati sunt, ideo frustra egerunt, quia ne ipsi quidem ullum verbum proposuerunt ad sensum vel utile vel necessarium, nec video, quid sit melius ac veri similius quam molestum illud 'tamen' omnino uncis adhibitis removere, tamquam natum ex eo quod praecedit 'tam insignia.' Haec verba finge fuisse versus initia; sequente versu errans librarius ad illa priora revertit, 'tam in' exaravit, vitium sensit, ideo plura scribere destitit: postea cum 'tam in' nihili esset, 'tamen' correxerunt. Nolo de tali conjectura longus esse, quae fortasse minus probabilis videbitur quibusdam; proinde comparent hoc textus Apuleiani vitium dudum intellectum Metam. I 7 p. 5 E: 'causas et peregrinationis diurnae et domitionis anxiae et spoliationis [diurnae et dum] miserae refero.' Ecce par nobile fratrum.

Gryphiae.

L. Radermacher.